



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 2. An satisfaciet integritati confeßionis, qui unum individuum
physicum peccati pro alio subrogaverit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

6. Non tamen omitam adnotare singularem opinionem M. Joannis Vigerii in *Sum. cap. 16. §. 4. vers. 17.* afferentis habentem plura lethalia, si causam habeat tacendi aliquid in confessione, posse urgente necessitate, communicare contritum, nullius confessione praemissa. Verum contrarium est certum apud Theologos, quia nil est, quod ab aliorum confessione excuset. Ideoque hanc opinionem prorsus falsam censeo.

7. Ex dictis infero, omnino rejiciendum M. Soto in *4. disp. 18. art. 5. §. Occurrit.* afferentem praecipuum de integritate materiali confessionis strictius obligare, quam praecipuum de sigillo, atque adeo Sacerdotem, non solum posse, sed teneri violare confessionis sigillum, quando necessarium fuerit, ne integritati materiali confessionis deficiat. Verba eius sunt.

* Occurrit hic dubium nullatenus dissimilandum. Utrum unam confessionem liceat revelare in alia? Exempli gratia, Sacerdos accessit ad forem ignorantia vincibili, & probabilis, ignorans esse forem, & postea ipsa confitetur fratri se esse illam ad quam accesserat. Et Sacerdos non potest confiteri, nisi alii, qui scit unam illi esse forem: Utrum debeat confiteri illi circumstantiam incestus, &c. Profecto res est dubia, & videtur veritas in hanc partem inclinare, quod non debeat illam circumstantiam confiteri, quia strictius est vinculum secreti confessionis, quam integre faciendae confessionis. Sic ajunt Scotus, Paludanus, Adrianus, & alii. Attamen ratio certe non usque adeo convincit, quia nescio, cur sit strictius vinculum servandi sigillum, quam integre confitendi, quandoquidem obligatio sigilli ex obligatione confessionis emergat, &c. Revera utraque opinio est probabilis, & fortasse haec probabilior, quod debeat confiteri.

* Hae Sotus. Sed miror virum doctum, tam levi fundamento, in tam singularem opinionem delapsus esse, quando tot sunt ad excusandum ab integritate materiali confessionis causa à Theologis omnibus approbatae, & nulla hucusque ab ullo in casu revelandam confessionem. Et quidem, si aliqua excusare potest ab integritate, cur non & ista? Ego sane etsi nullam excusantem admitterem, hanc unam exciperem, quia praecipuum confessionis ad solam integritatem formalem obligare, sanctum apud omnes est; sigillum verò confessionis, nec prototius mundi salute, nec pro inferno toto exponendo violari posse, & ex nullo sine honestate esse, sicut nec odium Dei, est apud omnes Theologos inconcussum. Quapropter sententiam Soti improbabilem esse, jure inquit Thomas Hurtado *tom. 2. resol. mor. tract. 6. cap. 11. resol. 27. num. 131.*

8. Omitto, quod licet integritas materialis confessionis sub praecipuo omnino indispensabili caderet, & strictius, quam sigillum obligaret, utrumque in casu M. Soti observari posset, nempe se accusando de copula cum persona vincibiliter sibi ignota. His enim verbis tota malitia illius actus exprimitur ex se expositus incestus, sacrilegio, & adultério. Unde inferes, quod si de solo incestu cum forem per confessionem noto se accusaret (ut contendit Sotus) inexplicata maneret malitia illius actus, ideoque & sigillum confessionis violaret, & integritati confessionis deficeret; ni forte sola species incestus in mentem venisset, & de hac solum dubia conscientia praecelsisset. In hoc autem eventu sufficeret se accusare de copula, ignorantia vincibili, an consanguinitate, vel affinitate in gradu prohibito, esset sibi persona conjuncta, juxta doctrinam Divi

Thomae, & discipulorum infra tradendam *disp. 1. quest. 3. cap. 2.* quae omnes gradus incestus ejulderum speciei, constanter defendit. Cui Sotus ipse non dissentit, ut constat ex verbis *ibidem numer. 21.* tradendis.

QVÆSTIO II.

An satisfaceret integritati confessionis, qui unum individuum physicum peccati pro alio subrogaret?

1. **C**Asus curiosus est, & apud neminem, quem viderim exagitat. Habuit quis, verò, gratia pollutionem, vel sodomiam cum puera, satisfaciet ne confessionis praecipuum (et si levis aliquid mendacio) confiteatur habuisse cum femina: huiusmodi circumstantia maris, vel feminae in peccato naturam, nec mutat speciem secundum quiddam, nec notabiliter aggravat, sed æquè grave peccatum est, ut nonnulli existimant. Similiter habuit quædam cum Maria, satisfaciet ne, si dicat, habuisse cum Anna? Occidit Petrum, satisfaciet, si confiteatur occidisse Joannem? Hoc inquam mendacium erit, quod contra praecipuum integritatis confessionis, in hoc hoc capite nulla, & invalida efficiatur? Hoc in praesenti inquirimus.

2. Pro parte affirmante confessionem esse nullam, ac proinde non satisfacere integritati, qui non individuum physicum pro alio subrogaret, est argutissimum argumentum. Quia ex praecipuo confessionis, tenetur quisque confiteri illa numero peccata, quae commisit, qui autem alio ex praecipuo modo confiteretur, non explicaret peccatum commissum, sed aliud numero distinctum. Quapropter, si aliam materiam absolutionis non adhibuerit, faceret sacramentum irritum ex defectu materiae: ergo non individuum physicum peccati nequit in confessione pro alio subrogari. Ita videntur supponere communitate Theologi, qui rem hanc, ut sine controversia disputatione non vocant. Ideo obiter Card. de Lugo *disp. 16. de Poenit. sect. 2. n. 53.* * Si ille, inquit, qui occidit Petrum fratrem Confessarii, dicat se occidisse alium, nempe Joannem, ne confessarius suspicetur, non videtur sufficienter confiteri, quia non confitetur peccatum, quod fecit, sed aliud quod non fecit. * Quem sequuntur Tamburini in *Methodo ad praedictam confessionem, lib. 2. cap. 10. §. 2. num. 45.* Et Lugo ad *Sacram. tom. de Poenit. tract. 5. disp. 5. quest. 24.*

3. Nihilominus pro contraria sententia alio pro qua, quatuor supra viginti ab hinc annis, cum tractatum de Poenitentia è suggestu discipulis dictatum, & summi in publicis conclusionibus celebratum, & summi in publicis conclusionibus celebratum, & summi Complutensis illam amplecti defensionem, licet tunc nullo duce hanc sententiam dicerent, postea eam luci datam inveni à P. Artigaga *tom. de Poenit. tract. 8. disp. 34. numer. 10.* & *disp. 35. numer. 29.* Et novissime illam tueretur Marcus Vidal in *Arca solennitatis, typis data Venetis, anno 1660. in tract. de Sacram. Poenit. inquis. 7. num. 36.* dicens rationem huius conclusionis esse eluram. Pro qui etiam stare videntur nonnulli recentiores, quos supprello nomine refero M. Petrus de Ledelina in *Sum. cap. 16. de Poenit. dub. 1. post concl. 3.* afferentes, eum, qui decem verba

subripui set quantitate mille aureorum, non tenet explicare numerum actionum, sed fat esse, confiteatur, dicens: *Subripui quantitate mille aureorum*. In hac enim confessione unus actus physicus, ut ex terminis patet, pro decem subrogatur. Favet etiam ipse M. Petrus de Ledema ubi supra, qui licet à prædictis recentioribus d'cedat (& merito) ratione verò, qua eorum sententiam rejicit, nostram confirmat: nimirum, quia major datur malitia in decem illis actibus, quam in uno. * La razon, inquit, es clara; por que un hurto cerca de la misma cantidad, nunca tiene tanta malicia, ni intensiva, ni extensiva, como muchos hurtos multiplicados, acerca de la misma cantidad; y assi es necesario dezirlo al Confessor, para que juzgue bien. * Qua etiam ratione uruntur contra præfatos recentiores, doctissimus Pater Leander à Sacram. tom. de Penit. tract. 5. disp. 8. §. 7. quæst. 7. Et Egidius Coninch de Sacram. disp. 7. de integritate Confes. dub. 7. num. 61. * Qua longè gravior, inquit, est, id decem actibus fecisse, quam unico, & hæc multum morale iudicium mutant. * Ergo secundum hos Doctores, si peccatum gravius non esset, sed in sola pluralitate actionum physicarum esset discrimen, satisficeret penitens subdicendo numerum, & unam actionem loco omnium subrogando, dicens: *Subripui mille aureos*. Consequenter videtur legitima, quia non ex hoc capite, sed ex sola gravitate malitiæ, quæ in uno eventu major evadat, modus ille confitendi his Doctores displicuit. Quos ille non incongruè pro nostra sententia vocare possemus.

4. Ratio à priori desumenda est ex his, quæ docet Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 22. sect. 2. num. 2. Ubi sic scribit. * Cum Concilia, & Patres in hac materia de peccatis loquuntur, formaliter de eis loquuntur, ut peccata sunt; atque adeò, ut ad morales pertinent. * Unde infert num. 6. * Distinctionem physicam actuum non referre ad confessionem, sed moralem. * Cujus sententiam defendunt communiter Theologi, ut eos laudans testatur M. Texeda tom. 1. lib. 2. tract. 3. controver. 10. num. 97. * Adde, inquit, cum Soto, Cajetano, & Ludov. Lopez, & communiter, non esse necessarium confitendam diversitatem physicam peccatorum, sed solum moralem. * Itaque duplex in quolibet peccato consideratio fieri potest, alia in esse physico, quæ ad confessionem non refert, alia in esse moris, seu in ratione malitiæ, & hæc est, quæ ad confessionem pertinet: ac proinde quando diversa est malitia contracta, ab ea, quam quis confitetur, non satisfacti integritati confessionis; dicitur autem diversa, non ex eo quod actio physica, cui inest, distincta sit, sed ex eo quod major, vel minor inest malitia, qualis est, quæ ex majori, vel minori quantitate objecti, vel ex majori, vel minori duratione actus, & similibus: hæc enim est, quæ distincta peccata constituit, & quæ confusè saltem in confessione dici debet; & de hac differentia individuali in esse moris loquuntur Concilia, Patres, & Theologi, quando unum quemque obligant confiteri idem peccatum, quod commisit, ut constat ex dictis.

5. Ex quibus sic argumentum conficio. In casibus supra enumeratis, licet individuum physicum peccati, quod penitens confitetur, sit physice diversum ab illo, quod commisit, non tamen est diversum numero in esse moris, quia non differt moraliter in ordine ad malitiam, nec iudicium humanum variat. Quod enim occiderit Petrum, vel Joannem, vel quod cum Maria, vel Joana rem habuerit, eadem est malitia in esse moris, sicut, & quod quantitas subrepta sit à

Petro, vel à Joanne, aut quod argentum, vel aurum fuerit. Hæc enim tantum est circumstantia pertinet ad esse physicum actus, quæ proinde physice tantum potest individuum peccati variare, non verò moraliter, cum neque augeat, neque minuat eius malitiam. Ergo in esse moris idem peccatum semper subicitur, sive unum, sive aliud objectum physicum habuerit, sive unam, sive alteram actionem physicam exprimat, ergo cum peccatum sit totum quoddam morale, & obligatio tantum sit confitendi idem individuum moraliter, non idem physice, verè satisfacti præcepto confessionis, qui unum individuum physicum pro alio in confessione subiciat: in qua ad summum leve mendacium solum modo interveniet, si aliunde à quocatione, aut restrictione vitetur, juxta diversas opiniones alibi examinandas.

6. Confirmatur primò. Nam quoties duplex species physica peccati est una, & eadem in esse moris, non est obligatio explicandi species physicas in confessione, nec distinguendi unam ab alia, ut de peccato bestialitatis, docet cum Cajetano, Diana 1. part. tract. 7. resol. 2. Quod adeò certum est, inquit Suarez supra, ut nulla ratio dubitandi circa rem hanc capereat. * Quia confessor non debet ferre iudicium de speciebus entis, seu naturæ, sed de moribus. * Quam esse communem doctrinam, inquit Coninch de integrit. confes. disp. 7. num. 2. num. 8. Undè qui cum peccaret cum muliere, se accusaret de peccato contra naturam cum equa, confessionis præcepto, etsi levi mendacio interjecto, absque dubio satisfaceret: quia licet actus diversam speciem physicam haberet, tamen in esse moris una, & eadem est species, & hanc penitens confessus est, de qua sola debet ferre confessor iudicium, non de speciebus entis, seu naturæ. Atque de individuis in esse physico, non magis debet ferre iudicium, quam de speciebus, ergo sicut non est contra integritatem confessionis unam speciem physicam pro alia subrogare, ita neque unum individuum physicum pro alio.

7. Urgeo, non est major obligatio confitendi idem individuum peccati, quam eandem speciem, sed quando species solum differunt in esse physico, & sunt eadem in esse moris, non est contra integritatem confessionis unam pro alia in confessione subrogare; ergo neque quando individua solum differunt in esse physico, & sunt idem in esse moris. Confirmatur secundo. Subrogata una specie physica pro alia, satisfacti præcepto integritatis, ut tradunt communiter DD. sed quoties hæc subrogatio fit, sufficit à fortiori unum individuum physicum pro alio: quia individua diverse speciei physice non possunt non individualiter physice distingui, sicut individuum hominis, ab individuo equi. Ergo si una species physica potest pro alia subrogari, etiam poterit unum individuum physicum pro alio.

8. Secundo probatur hæc sententia ab inductione, pluribus illustrata exemplis, quibus, licet ad alia utantur Doctores, nostram, velint, nolint, sententiam incidenter tuerentur. Primum de promo ex communi sententia apud Lugo sup. tom. de Penit. disp. 16. sect. 2. asserente, eum, qui peccatum luxuriæ confessus, oblitus est circumstantiæ voti, satisfacere præcepto, si in alia confessione se accuset de violatione voti in re gravi, non explicato iterum peccato luxuriæ, quod jam confessus fuerat. Ex qua doctrina sic arguo. Diversus in esse physico est unicus voluntatis actus terminatus ad luxuriam contra votum, à duplici actu, quorum alter ad luxuriam, alter ad vio-

lationem voti terminetur, & tamen in communi sententia in subrogatione duplicis actus pro unico, ut in casu adducto contingit, non fit contra integritatem confessionis, ergo neque in subrogatione unius pro alio physice distincto.

9. Urgetur ex doctrina P. Suarez *disp. 22. de Pœnit. sect. 2. num. 9.* asserentis, adhuc in eadem confessione, posse pœnitentem à consilio, eundem actum physicum, ut duos realiter distinctos subicere, dicendo, verb. grat. *Commisi semel fornicationem, & post aliqua, violavi semel votum in re gravi.* Quod cum Angelo, & Navarro defendit: nam cum duæ illæ malitiæ explicari possint, non explicando connexionem earum in eodem actu. * Satis, inquit, erit illas dicere per modum plurium peccatorum. * Cui consentit Thom. Sanchez *in sum. lib. 4. cap. 11. num. 24.* dicens: * Si votum fuit non fornicandi, aut non furandi, optima esset confessio dicendo: Toties admisi fornicationem, vel furtum, & toties fregi iuramentum, vel votum rei gravis: quia quando malitia peccati, & circumstantiæ, sunt separata, possunt seorsum, tanquam diversa peccata in confessione exprimi, ut bene ait Henriquez. * Quibus accessit Tancredi *in quest. disp. 6. de Pœnit. quest. 22. & Caram. in Theologia Fundam. fundam. 35. cap. 4. num. 557. fol. mihi 233.* Qui citato doctis. F. Angelo Manrique primario olim Salmantino, & postea Episcopo Pacensi, asserit eidem principio innixus, eum, qui commisit adulterium, satisfacere, si confiteatur: * Commisi simplicem fornicationem: & post alia interjecta peccata addens: intuli cuiusdam gravem injuriam, tertia quadam persona cooperante, cui satisfaciam, si potero. * Ex quibus sic argumentum instauro. Peccatum contra votum idem numero est in esse physico cum peccato contra castitatem, sed in præfato modo confitendi, significatur fuisse numero distinctum, cum exprimitur actio interna, & externa contra votum, ut distincta numero ab actione interna, & externa contra castitatem, ergo in ista confessione, pro uno individuo physico peccati, duplex subrogatur; & tamen non fit contra integritatem confessionis, ut omnes citati asserunt. Ergo. Consequentia est apertissima, idèdque, ut illam vitaret Tamburinus, negavit antecedens, *in Method. exp. confes. lib. 2. cap. 1. §. 13. num. 83.*

10. Urgeo 2. Exemplo alio, quod expressum reperio apud Card. de Lugo *suprà disp. 16. citata, sect. 16. num. 660.* Ponamus hominem unico voluntatis actu intendisse duos homines occidere: hic inquam, juxta ipsius, & communem opinionem nuper relatam, potest se prius accusare, dicens: intendi occidere unum hominem: & post alia interjecta addere: me etiam accuso de intentione occidendi alterum hominem: sed in isto casu, ut patet, ipso modo confitendi significat, habuisse duos voluntatis actus, (neque enim alio modo posset confiteri si duos habuisset) ergo pro uno individuo physico peccati duplex realiter subrogavit. Ergo unum pro alio subrogare non est contra integritatem confessionis.

11. De exemplo autem alio de adulterio adducto à Caramuele, non curo, quia censeo cum Sanchez, & aliis ultra duas malitias contra castitatem, & contra justitiam, dari aliam in adulterio contra statum matrimonii, & fidem illi debitam ob bonum commune: aliàs enim consentiente marito, sola maneret malitia simplicis fornicationis, quia scienti, & volenti non fit injuria: quod dicere nemo audebit. Ac proinde non faceret satis integritati confessionis; se accusando de simplici fornicatione, & postea de

injuria gravi, tertia persona interveniente, cuius illata: quia hæc est circumstantia scandalosa, & contra fidem matrimonii, quæ adulterio non explicato, subijci confessioni non potest.

12. Tertio probatur à posteriori nostra sententia: nam ex opposita sequeretur, debere iterari confessionem, quoties pœnitens ex oblivione, aut inadvertentia, aut etiam à consilio, judicium parat ad subrogasset: ac proinde iterandam in calibus sequentibus. Primò, si quis furatus fuisset à Petro centum aureos, & in confessione dixisset à Petro, dixisset aurum. Tertiò, si commisisset belluam cum mula, & dixisset cum equa. Quartò, si cum percussisset hominem sinistra, dixisset cum dextra, vel cum occidisset gladio, dixisset gladio, & in similibus, quæ risum movent. Quod autem teneretur iterare confessionem, si contra eam opinio esset tenenda; patet, quia non confessus est peccatum, quod fecit, sed aliud in esse physico directum, quia diversa actio physica est, quæ ad diversa objecta, & quæ cum diverso instrumento fit, ut in exemplis positis contingit, ac proinde cum peccata, revera commissa, non fuissent clavis subiecta, teneretur iterum confiteri. Quam quidem obligationem nemo, ni fallor, quantumvis scrupulosus, pœnitenti imponere somniavit.

13. Denique, quod hæc sententia sit præfata tenenda, mihi suadeo: quia licet sit inter Philosophos opinio asserens actus individuari à circumstantiis temporis, in quo fiunt; nihilominus si quis non peccasset, & in confessione diceret peccasse vespere, nemo eum obligaret ad iterandam confessionem alius peccati, explicando non mane, sed vesperare fuisse commissum. Nec mihi suadere possum Cardinalem de Lugo aliter in praxi censurum, quam vis de eisdem actionibus, à tempore individuari. Et tamen certum est, juxta hanc opinionem, unum individuum physicum peccati pro alio subrogari. Ergo ejusmodi subrogatio non est contra integritatem confessionis, & cum aliàs mendacium, quod intervenit, leve, & substantiæ præcepti non opponatur, non facit Sacramentum irritum.

14. Hæc sunt fundamenta, quæ jam diu hæc sententiam mihi probabiliorē reddiderunt, ex qua non contra mores deduci posse credo, sed potius magis aliquando fore utilitatis, ut pœnitentes individuum physicum peccati occultari posse agnoscentes, à confessione non retrahantur, nec invalidam, subiecto aliquod peccatum, efficiant. Caveant vero, ne illa abutantur. Nam quoties major malitia datur in uno individuo, quam in alio, cum jam sit moralis distinctio, non potest unum individuum physicum pro alio subrogari. Ut si furatus est centum, non satisfaciet dicens quinquaginta, & sic de aliis.
